



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Honore, Dignis Vel Indignis, Jvste Vel Inivste, Deo  
Semper Jvstissimo, Dato, Negato, Violato**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1650**

§. 1. Scripturæ exemplis docetur, sinere Deu[m] infamari innocentes, sed eosdem iterum in honorem reponere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48689](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48689)



cas sibi indignè inferri. Et monet vel Epictetus, unicuiq; debere satis esse, vt sibi ipsi appareat vir bonus, neglectis aliorum de se iudicijs. Miraturque Antoninus, qua ratione homines, cum se præ omnibus diligant, suum tamen de seipsis iudicium, præ alieno tam parui æstiment. Qui sibi conscius est bene, non debet curare, si alij iudicent malè. Vile enim iudicium est, quod erroneum est; & illum ipsum, quem heri laudauit, hodie depretiat adulator.

Epictet.  
in Enchirid.  
c. 30.

S. Antonin.  
lib.  
12. n. 4. 5.

### C A P V T X V I I .

*Quantis iniurijs à temerè iudicantibus;  
quantis beneficijs à Deo temerè iudicati innocentes afficiantur?*

#### §. I.

*Scriptura exemplis docetur, sinere Deum infamari innocentes, sed eosdem iterum in honorem reponere.*

**D**erisa olim Anna, & ab Heli, pro ebria, habita, cum postea filium suum Samuelem Domino offerret, ex sterili fœcunda, atque ex contempta honorata facta, in gaudio cecinit: *Dominus 1. Reg. 2.  
morti- 6.*



Daniel.  
13. 630

mortificat, & viuificat, deducit ad inferos & reducit. Nempe ille est, qui nos finit hominum iudicijs affligi, atque ab iisdem nos denudè eripit; sicut eripuit Susannam iam, ob falsa senum testimonia, damnatam; quæ, dum ducebatur, ad iudicium retracta inuenta est castimoniæ speculum, quæ fuerat de adulterio infamata. Hæc enim est ars Dei, vnde mundus pios humiliat, inde ille eos exaltat; sicut etiam plerumq;, qui se exaltant, per ipsam exaltationem humiliantur. Igitur Helcias & uxor eius laudauerunt Deum pro filia sua Susanna, cum Ioachim marito eius & cognatis omnibus: quia non esset inuenta in ea

Rom. 15.  
4.

res turpis. Hæc omnia ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus. Quin etiam ut à facinoribus suis mali deterreantur, si illis manifesta fiat enormitas iniuriarum, quas alijs intulerunt.

§. II.

*Hospitalitas erga pauperes Christi, quàm Deo grata?*

Inter eiusmodi scripta, censeo etiam meritò habendam vitam S. Vdalrici celeberrimi Augustani Episcopi, quæ è vetustissimis codicibus, ante Martini Lutheri tempora,